

www.e-rara.ch

Caroli Sigonii historiarum de occidentali imperio libri XX. ...

Sigonio, Carlo

Francofurti, 1593

Zentralbibliothek Zürich

Shelf Mark: RI 49 | G

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-25378>

Liber XVII.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

habitantem, qua die ille excessit, Gottho cuidam nobili dixisse, visam à se regis Theodorici animam, quæ à Ioanne pontifice, & Symmacho Patricio in ollam Vulcani mergenda portaretur. Mortem ei imminentem portendit statua eiusdem Neapoli posita, cui caput per eos dies fortuito decidit. Theuda præfectus Theodorici in Hispania, muliere nobili, & locupletè, & multorum oppidorum domina in matrimonium ducta, duo millia hominum confecerat, ac verbo Theodorici permissu Gotthis præerat, re tyrannidem exercebat. Theodoricus autem ante obitum veritus, ne sibi cum præfecto suo certandum esset, & Francos, ac Visgotthos aduersos haberet, exercitui eum præesse permisit, tantummodo dum bellum gereretur, verum per amicos admonitus curauit, vt ad se salutandum veniret. quod cum ille in diem differret, Theodoricus est mortuus. quo factò, Theuda regnum inde, aut certe partem eius pro suo arbitrio gessit. Eodem anno Longobardi Gotthis aliquando in Italia successuri ex Rugia in Pannoniam, Andoino rege ducente, pulsus Ostrogotthis transierunt.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER XVII,

Qui est regni Gotthorum in Italia secundus.

ATHALARICVS REX.



VSTIS Theodorico solutis, Athalaricus puer octo annos natus extemplo regni hereditatem adiuit. atque ex præscripto Amalafuentæ matris omnia pro sua voluntate, iudiciòque curantis, legatis, litterisque missis, senatum, populùmque Romanum, ac Romanos, Gotthòsque in Italia, Dalmatia, & Gallia constitutos certiores de sua prouectione fecit, iurans, se omnibus, qui in sua, atque aui sui auctoritate mansissent, ius æquabile redditurum. Omnium litterarum exempla sunt apud Cassiodorum in hac sententiam: *Scire vos volumus, nos nuper ab auo nostro Theodorico in extremo vita discrimine posito regni heredes maximo animi studio institutos. procures autem, qui aderant, iudicium eius tanta consensione probasse, vt diuina in ea re voluntas agnosceretur. Quos imitati Romani, & Gotthi non solum suorum nobis studiorum alacritatem, sed etiam iurisdictioni religionem continuo præbuerunt. Quorum vos etiam vestigia sequuturos non dubitamus. itaque, vt primordia nostra, nostramque erga vos humanitatem perspiceretis, legatos ad vos nostros misimus, vt vobis item nomine nostro iustitiam, & æquabilem clementiam interposito sacramento sponderent.* Ipsi porro Amalafuentæ reginæ ingentia corporis, animique decora referuntur. primum tanta in ore dignitas, vt nemo eam sine summa veneratione spectaret; tanta in dicendo vis, vt cum Græce, Latineque sciret, verba faciens, omnium ad se voluntates, animòsque conuerteret. ingenium deinde virile, ac prudentia maior, quàm sexui conueniret. itaque, Athalarico per ætatis imbecillitatem ad regni gubernacula tractanda nondum idoneo, ipsa tanta iustitiæ, ac sapientiæ fama administravit, vt omnes in summam admirationem adduxerit. nam non modo Romano cuiquam vitam, aut bona non ademit, sed etiam liberis Symmachi, & Boetij, quæ fuerant erepta, restituit. imprimisque vniuersam Romanorum nationem aduersus inhiantem Gotthorum libidinem texit. Amalarico vero regi Hispaniæ sororis suæ filio Galliæ ultra Rhodanum

danum portionem, citiore sibi retenta, concessit, & res à Theodorico patre Carcaffone ablatas reddidit, atque impositum ab eo vectigal remisit. quin etiam ipsius citioris partem Theodorico regi Francorum arma sibi intentanti tradidit ad leuandam Francico bello in tanta suorum infirmitate Italiani. puerum porro Athalaricum contra instituta Gotthorum more Romano rectis ad omnem humanitatem litteris informandum curauit, ac præceptorum, seniorumque humanitate, prudentiaque præstantium custodiæ seueriori commisit. qui nunquam ab eius latere discedentes mores, vitamque pueri Romana disciplina imbueret. Per hæc tempora publica erat Romæ schola, in qua eloquentia, iurisprudencia, & reliquæ ingenuæ artes per eruditissimos homines publica mercede instituto vetere tradebantur. cum autem stipendia hoc tempore à senatu professoribus aut non penderentur, aut lente, ac fastidiose persoluerentur, eadem huius rei certior facta per litteras senatoribus nomine Athalarici præcepit, vt eis plenissime satisfacerent: *Nuper cognouimus, inquit doctores eloquentiæ Ro. laboris sui constituta præmia non habere, & aliquorum nundinatione fieri, vt scholarum magistris attributa summa dematur. quapropter cum perspicuum sit, præmium artes nutrire, nefas indicauimus, doctoribus adolescentium aliquid subtrahi, qui sunt potius commodorum incrementis ad gloriosa studia prouocandi. prima enim grammaticorum schola fundamētum est litterarum, mater facundiæ, magistra verborum, ornatricis humani generis, quæ per exercitationem pulcherrimæ lectionis antiquorum*

10 *nos cognoscitur iuuare consiliis. hac non vtuntur barbari reges. apud legales dominos permanet singularis. Arma enim & reliquæ gentes habent. sola reperitur eloquentia, quæ Romanorum dominis obsecundat. Qua de re P. C. hanc vobis curam, hanc auctoritatem largimur, vt successor scholæ liberalium litterarum tam grammaticus, quam orator, & iuris expositor commoda sui decessoris ab eis quorum interest, sine aliqua imminutione percipiat, ne cogantur de alieno pendere fastidio, cui piaculum est vel horarum vacasse momento.* Mauortio inde 527

20 *contracto morbo intelligens, successorem sibi exemplo Theodorici substituit. quippe Kalendis Aprilis Iustinianum, sororis filium, egregium animo, atque virtute iuuenem, Imperij sibi confortem asciiuit. & Kal. Augusti vita cedens Imperatorem reliquit. Hic est Magnus ille Iustinianus, quem merito posteri iuris conditorem, libertatis restitutorem, barbarorumque profligatorem linguis, scriptisque consentientibus celebrarunt. ille vero, inito Imperio, præclarum auunculi exemplum rep. domi, forisque iuste gerenda sibi proposuit. itaque & Concilij Chalcedonenis, vindicem se futurum denunciavit, & bellum Persicum ab Anastasio institutum, atque à Iustino exceptum summa ope continuauit. hunc vero vbi ad Imperium peruenisse Amalafuenta percepit, statim regis nomine oratores de fœdere cõfirmando, & renouanda amicitia misit, cum his litteris: *Iure possem reprehendi, Clementissime princeps, si pacem vestram quærerem tepide, quam patres meos constat ardentius expetisse. Vos auum nostrum in vestra ciuitate sellis curulibus extulistis. vos genitorem meum**

30 *in Italia palmata claritate decorastis. desiderio quoque concordia factus est per arma filius, quia vnus vobis pene videbatur æquauus. hoc nomen adolescenti congruentius dabitur, quod nostris senioribus præstitistis. quamobrem ad serenitatem vestram legatos nostros misimus, vt amicitiam nobis illis conditionibus concedatis, quas cum auo nostro decessores vestros constat habuisse.* Eam vero societatem, vt ad res gerendas nõ inutilem, Iustinianus summo studio confirmauit. postero autem anno, cum esset vna cum Athalarico rege 528

40 *iterum consul, domi quietus, ac prorsus in studia pacis intentus opus longe bellicis laudibus omnibus præponendū instituit. Animo namque ad vetus ius ciuile emendandum, supplendum, & componendum adiecto, iuris peritos illa ætate ingenio maxime, doctrinaque præstantes adhibuit ex nobilissimis Beryti, & Cæsareæ gymnasijs euocatos. eisque consilio suo communicato, præcepit, vt nouum Iuris Codicem decreta Augustorum principum complectentem Theodosij Augusti imitatione conficerent. Eo etiam anno sæuus terræmotus miserabiliter Antiochiam afflictauit. siquidem, ingenti cœli prope mugitu edito, ædificia omnia, quæ priore non ruerant, deturbauit, atque hominum ferme quinque millia ruinis allisit, quo casu perculsi ciues ad diuinam opem implorandam se contulerunt, ac sine calceis*

cum flebilibus vocibus Deo supplicatum ierunt. cum autem vir quidam insigni pietate præditus se in quiete diuinitus monitum esse assereret, vt ad tantam auertendam calamitatē in foribus ædium inscriberetur: *Christus nobiscum, state*, eo facto, repente cœlestis ira confedit. Iustinianus inde, & Theodora coniux eius, ingenti suppeditata pecuniæ summa, urbem instaurarunt, ac nouo nomine pro Antiochia Theopolim appellarunt. Interim Athalaricus rex præcepta materna sequutus, varios amicos virtutis causa ad honorum gradus euexit, atq; ad frequentanda Brutiorum oppida possessores, & curiales rura relinquere, & in vrbes se referre præcepit. eosq; datis fideiussoribus, spondere iussit, se maiorem partem anni in oppidis à se ad habitandum delectis agitatuos. cumq; Theodoricus aquam in urbem Parmensium induxisset, ad Honoratos, possessores, & curiales ita scripsit, vt eis propterea cloacas etiam purgare mandaret: *Ciuitatem, inquit, vestram siccitate diutina laborantem auus noster saluberrima vnda rigauit. nunc vos cloacarū ora pandatis oportet, ne, sordium obiectione tardata, reciprocans vnda vestris ædibus illidatur, & quas debuit abluere, vobis inferre cogatur.* Eodem anno Benedictus Nursinus, abbas, sanctitate in Sublacensi monasterio florens, diuino instinctus spiritu, paucis monachis secū assumptis, Cassinum in Campaniā adiit, ibiq; simulachro Apollinis, quod vulgo ab agrestibus hominibus colebatur, euerfo, lucoq; succiso, nouum sibi monasterium condidit, ac monachis Occidentalibus leges, quibus in hunc vsque diem vtuntur, seuerissimas dedit, & panis pondus, ac mensuram vini, quibus in summa victus tenuitate vescerentur, præscripsit. id monasterium deinde numero monachorum, dignitate abbatum, muneribus, ac priuilegiis principum tota Italia factum est celeberrimū. præcipue per aliquot post annos ipse ibi degens Benedictus signis multis in Christi nomine edendis locū peruagata fama suæ extulit sanctitatis. Decio inde consulatum gerente, Iustinianus Idibus Aprilis Codicem iuris antecessorum solertia concinnatum felicissime sub suo nomine edidit, atque ex eo in posterum ius dici præcepit. neque ita multo post, vt animi sui expressam de fide sententiam proderet, legem aliam tulit, nequis dissensisse à fide catholica vellet; siquis adhuc secus sensisset, is trium mensium spacium ad resipiscendum haberet. ex quo edicto varie inde in Oriente tumultuatum est, Arrianis in primis, atque Eutychianis superbe nimis, ac violenter in se consultum esse censentibus. Athalaricum regem iam decem annos natum iampridem Gotthi seuera seniorum disciplina educari moleste ferebant. nempe indolem regiam, ac virtutem auitam litterarum ocio, ac studiorum cultu existimantes effœminari. itaque, cum puer à matre correctionis causa manu percussus ad nonnullos eorum lacrymans confugisset, dicere non dubitarunt; cupere ipsam puerum perdere, vt secundis nuptiis ad alterum virum regiam dignitatem transferret. ac, consilio agitato, vocibus eam haudquaquam obscuris increpauerunt, quod regem non conuenienter educaret. nam, & litteras, & magistros à fortitudine, & magnitudine animi inferenda alienissimos esse. qui res maximas gesturus, & bellicam Theodorici gloriam æquaturus esset, eum armis operam dare, & rei militari studere, nec præceptores formidare, sed præceptoribus formidini esse debere. non ita Theodoricum Gotthorum filios educandos instituisse, immo vero ne ipsum quidem tot gentium domitorem hoc pacto educatum fuisse, quem constaret nullas prorsus litteras cognouisse. Athalaricus cum æqualibus in campo, atq; in solo laborare perdisceret, non autem cum maioribus natu in scholis, atque in vmbra langueret, quorum verba etsi minime omnium Amalafuenta probauit, ne tamen ipsos despiciatui habere proceres videretur, illorum se parituram auctoritati respondit. atque ab illo die, dimissis senioribus, puerum iuuenum familiaritati commisit. Per idem tempus Hildericus rex Vandalorum Amalafredam Transamundi olim regis vxorem patum comperta de causa necauit. quod vbi ad aures Amalafuentæ, siue Athalarici peruenit, iusta ira permoti graues ad eum litteras miserunt, & reddenda tanti facinoris causa vt sibi satisfaceret, verbis his postularunt: *Quis nesciat, Amalafredam generis nostri decus violenta à vobis manu esse peremptam, & quam habuistis pridem dominā vos passos non esse, viuere nunc priuatam? Hac si contra fas grauis esse videbatur, remitti ad nos cum honore debuit, quam magnis supplicatio-*

plicationibus petiistis. & ideo morali ratione commoniti per legatos ius à vobis poscimus, expectantes, qualis tanto facinori defensio praeferatur. Lampadio inde, atque Oreste consulibus, anno Christi DXXX, Iustinianus, edito codice ad formanda, siue restituenda litium, causarumque iudicia non contentus, nobiles iterum iurisperitos atque antecessores acciuit; ac, voluntate sua exposita, negotium alterum eis dedit, ut insignia veterum iurisperitorum decreta ex immensis eorum voluminibus secernerent, eaque ordine ad intelligendum, & utendum accommodato digererent. quod illi, collatis in vnum veteribus omnium de iure commentariis, magna cum cura, atque industria praestiterunt. atque Institutiones iuris, & Digesta legum, quae nunc quoque teruntur manibus, confecerunt, immortalem apud posteros industriae gloriam parituri, nisi, dum breuitati fortasse nimiae studuerunt, in miras obscuritatis angustias incidissent, ac disputationem, & litium, quas tollere voluerunt, interdum materiam praebuissent. In Thracia, duce Mundo militiae magistro, res egregie gesta, Bulgaris populatibus ad internecionem deletis. Romae Felix pontifex 1111 Idus Octobris est mortuus. Comitibus nouo pontifici creando indictis, senatus, ac clerus in duas, ut antea, factiones est scissus. itaque alij in basilica Constantiniana Bonifacium, alij in basilica Iulij Dioscorum, vtrumque presbyterum, designarunt episcopum. quae seditio grauissime turbatura quietem Ecclesiae erat, nisi biduo post subsequuta mors Dioscori omnem plane tumultus materiam sustulisset. eo vero extincto, Bonifacius locum sine controuersia nactus, ac secundus in consecratione appellatus, clero aduocato, Dioscorum eodem nauit, verum factionem eius, quae maxima erat, in gratiam Ecclesiae recepit. Inde post Lampadij, & Orestis consulatum, ut prauum in posterum dissidij occasionem adimeret, conuocato iterum clero, omnes ante Confessionem S. Petri in verba sua iureiurando adiecit, se post excessum ipsius Vigilium diaconum pontificem sublecturos. idque sacramentum sanciri manu cuiusque voluit. Admonitus inde rem commississe sacris legibus omnibus aduersantem, & libertati Comitiorum officientem, idem scriptum, accitis de integro omnibus, abrogauit, eoque incenso, se reum esse maiestatis asseruit. (qua re adducti senatores & ipsi decretum de ambito pontificiorum Comitiorum comprimendo fecerunt.) ac mox, cum in summa fame populum annona egregie subleuasset, mortem & ipse xv Kal. Nouembris oppetiit. neque per competitorum contentionem illo anno successorem accepit. In Africa Gilimer Genserici quondam regis nepos, cum regni hereditatem, vel ipso Hilderico viuente, immatura, ac prope insana cupidine deuorasset, iniquum & ipse facinus est aggressus. quod mox ipsi vitam, Vandalis vero integrum in Africa imperium abstulit. Hildericum namque accusauit apud Vandalos, quod rei militaris inscitia superiore bello cladem ab Afris maximam accepisset. & quod, legatione missa, Vandalos Iustiniano prodere voluisset. quippe cui etiam, antequam ad Imperium perueniret, amicus, atque iucundus fuisset. quibus rebus Vandali temere incitati ipsum conflata seditione corripuerunt, atque in carcerem coniecto Gilimerem substituerrunt. Quod ubi Iustinianus audiuit, hominis misericordia percitus, subito legatos ad Gilimerem cum hac epistola misit: Impie facis, quod Hildericum propinquum tuum in custodia retines, cuius regnum breui post tempore iuste excipere potuisti. nam, ut modicum tempus praertereres, ius ipsum violasti, ac regni nomen in tyrannidem transtulisti. quamobrem magnopere tibi suadeo, ut ipsum, dum viuit, regni vsurpare imaginem patiaris, & aui tui Genserici de regni successione decretum, ac iudicium tuearis. qua epistola lecta, Gilimer iratus non solum legatos irritato postulato dimisit, sed etiam Hildericum custodiae arctiori mandauit. itaque Iustinianus, nouis missis legatis, ita rescripsit: Quoniam stat tibi sententia regnum iniuste tenere, tibi habe. Hildericum vero ad me mitte solatium illud habiturum, quod frui poterit, qui regno suo exciderit. quod si facere abstiteris, necessitatem nobis impones, ut foedere praeterito, quod cum Genserico sanctum habemus, te non solum infesto bello petamus, sed etiam poena, qua possimus, afficiamus. ad quae Gilimer respondit: Ego regnum Hilderico nequaquam eripui, sed eo propter nouarum rerum studium à Vandalis exturbato, iure aetatis ad me translatum suscepi. quod si tu, soluto foedere, arma mihi inferenda statueris, dabo operam, ut vim pro-

pulsem, ac Zenonis, cui tu successisti, fidem implorem. Eodem anno Constantino-
 poli graui seditione tumultuatum est, Hypatio, Probo, & Pompeio, sibi vindicare
 Imperium molientibus. vrbe fœde direpta, ac multis in locis incensa, Hypatius, &
 Pompeius ad Palatium inuadendum, & Imperatorem delendum cum parata satel-
 litum manu pergere contenderunt; verum Belisario, Mundo, & Narsete proceri-
 bus ad vim arcendâ accurrentibus, in ipso seditionis incendio comprehensi, & an-
 te pedes Iustiniani deducti pœnas capite persoluerunt. locis bona proscrip-
 ta sunt. ea seditio à tessera data Nica, seu Vince est appellata. Postero anno iterum post con-
 332
 sulatum Lampadij, & Orestis, comitiis pontificiis diuturna contentione prolatis,
 Ioannes presbyter x i Kal. Februarias pontifex Bonifacio est suffectus, ac secundus 10
 vocatus. Athalaricus à defensore Romanæ Ecclesiæ de comitiis nefaria quorun-
 dam ambitione turbatis, & pauperû, Ecclesiæq; facultatibus dissipatis admonitus
 legem de ambitu coercendo superioribus congruentem cōstituit, deq; ea re Ioan-
 nem ipsum statim edocuit: *Nuper ad nos, inquit, defensor Ecclesiæ Ro. venit, expostulans,*
cum Apostolica sedi peteretur antistes, quosdam nefaria machinatione necessitatem temporis
aucupatos ita facultates pauperum extortis promissionibus ingrauisse, vt, quod dictu nefas est
etiam sacra vasa emptioni publicæ viderentur exposita. Hoc quantum fuit crudele committi,
tanto gloriosum est adhibita pietate rescari. atque ideo sanctitas vestra statuisset nos presenti
definitione cognoscat, quod etiam ad vniuersos patriarchas, atque metropolitanas ecclesias vo-
lumus pertinere, vt à tempore sanctissimi Papæ Bonifacij, cum de prohibendis suffragiis patres
 20
conscripti senatusconsulta nobilitatis sua memores condiderunt, quicunq; in episcopatu obri-
nendo siue per se, siue per aliam quancunq; personā aliquid promississe declaratur, vt execrabilis
contractus cunctis viribus efferatur. si quis autem in hoc scelere deprehendatur fuisse versatus,
nullam relinquitur vocem, verum etiam si quid aut repetendum, aut quod acceptum est, non
reddendum esse crediderit, sacrilegij reus protinus habeatur. Iustinianus vbi nouum pon-
 tificem creatum comperit, statim, vt exemplo sui ceteros ad rationem fidei suæ
 prodendam alliceret, Hypatium Ephesinum, & Demetrium Philippensem episco-
 pos legatos ad eum misit, qui tabulas Confessionis suæ deferrent, simulq; preciosa
 ex auro, gemmisq; mirifici operis vasa Sancto Petro offerrent. ex tabulæ adhuc in
 Actis Conciliorum insertæ leguntur. in quibus ille quattuor œcumenica se pro-
 30
 bare Concilia profitetur. tria vero capita Concilij Chalcedonensis, nempe scripta
 Theodori Mopsuesteni episcopi, Theodoriti Cyrensis, & epistolam Ibæ ad Marim
 anathemate, licet auctoris iam extinctis, feriēda, tanquā à Catholica veritate re-
 mota contendit. quin etiā proximis Gilimeris litteris vehemētius irritatus Vanda-
 licum bellum suscipere statuit. Consilium inde suum cum à plerisque improbari
 audiret, tristem Africanæ expeditionis à Leone, duce Basilisco, susceptæ exitum
 horrescentibus, & summam expediendi negotij difficultatem proponentibus ali-
 quantulum de studio rei militaris instruendæ remisit. mox somnio quodam egre-
 giam victoriam portendente in spem ab episcopo quodā erectus ad pristinas cogi-
 tationes, apparatusq; se rettulit. atq; omnia ad eam rem nēcessaria militū, nauium, 40
 armorum, comeatuum, & instrumentorum subsidia expedire perrexit. ac totius
 belli summā Belisario tradidit, duci ea tempestate præclaro, nuper post pactas cum
 Persis inducias ex Oriente reuerso. Eodem anno, qui fuit Imperij ipsius quintus,
 nouum pestilentia genus Orientem inuasit, à Græcis bubonis, à Latinis inguinariz
 dictæ. quæ orta in Æthiopia sensim inde totum terrarum orbem peruasit, quibus-
 dam ciuitatibus ita prostratis, vt prorsus exhausit; quibusdam vero ita affectis, vt
 afflatu tantum ipso terruerit, nulla certa ratione neque in adoriendo, neque in di-
 mittendo seruata. nam alios ineunte hieme, alios senescente vere, alios adulta
 æstate, aut autumno inuasit. atque in quibusdam oppidis domos omnes attigit, in
 quibusdam nonnullas. quæque familiæ priore anno integræ fuerunt, solæ sequen- 50
 ti contabuerunt. quin etiam sæpe qui ex infectis vrbibus euadebant, postquam in-
 ter sanos venissent, soli peribant. neque vero eadem omnes ægritudo tentauit. in
 quibusdam enim morbus à capite incipiens oculos sanguine, & faciem tumore
 afficiebat; deinde ad guttur accedens vitam eripiebat. alij ventris profluuium interi-
 bant, in aliis bubones erumpent, & febres vehementes accedebant. nonnulli
 biduo,

biduo, aut triduo sana mente moriebantur, nonnulli vero de potestate deiiciebantur. erant qui semel affecti iterum incidebant. aliis morbum consuetudo attulit, aliis attractus, aliis solus fori aditus. Quin etiam quidam integri proximis exitium importabant, alij licet cum egris, mortuisq; versati morbum tamen, licet cupientes, nancisci non poterant. atque hac tanta malorum varietate hic morbus post orbibus quibusdam sapius reuocatus homines in plurimos post annos misere lace-
 10 ravit. Per eosdem dies Amalafuenta regina Theodoricum Francorum regem bello prouocauit, ac victoriam, rege mortuo, nobilem reportauit. quoniam autem & causa, & series belli parum est explorata, verba ipsa Cassiodori. vnde hoc hausimus, afferemus, nihil neque de nostra coniectura addentes, neque de aliena narratione
 20 dementes. is, cum de virtute, rebusq; Amalafuentæ loqueretur, sic post multa intulit: *Franci etiam tot barbarorum victoriis præpotentes, quam ingenti expeditione turbati sunt? laceßiti meruerunt cum nostris inire certamen, qui præcipitis saltibus prælia semper gentibus intulerunt. sed quamuis superba natio declinauerit conflictum, vitare tamen proprij regis nequiuit interitum. nam Theodoricus ille diu potenti nomine gloriatus in triumphum principum nostrorū languoris potius pugna superatus occubuit, ordinatione credo diuina, ne nos aut affiniū bella polluerent, aut iuxta productus exercitus vindictam aliquam non haberet. mactæ prociñctus Gotthorum omni felicitate iucundior, qui hostem regalem capite cadis, & nobis nec vnus vltimi facta subducis.* Addit inde, eandem etiam regem Burgundionū ad obse-
 30 quium adduxisse. sic enim subiicit: *Burgundio quin etiā vt sua reciperet, deuotus effectus est, reddens se totum, dum accepisset exiguum. elegit quippe integer obedire, quam immunitus obsistere, tutius tunc defendit regnū, quando arma deposuit. recuperauit enim precē, quod amisit in acie. Beatam, te, domina, laude multiplici. cui diuino beneficio necessitas tollitur cuncta certaminis. quando aduersos reip. aut cælesti felicitate vincis, aut tuis imperiis spontanea largitate coniungis. Ecce felix domina, quod habet eximium vterq; sexus, impleuit. nam & gloriosum regem nobis edidit, & latissimum imperium animi fortitudine vindicauit.* Sequenti anno, Iustiano Augusto iam tertium consule, Theodebertus rex Francorum, qui
 40 Theodorico regi patri suo successerat, honestam belli in Hispaniam transferendi causam nactus, non omisit. Huius sororem Crothildem Amalaricus rex Gotthorum in matrimonio habens, grauibus adeo contumeliis afflictat, vt aliquando ad ecclesiam procedentem, quia Catholicæ addicta fidei erat, sordibus aspergendam curarit, atque ad extremum sæue adeo pulsauerat, vt vestem hausto sanguine macularer. quibus de rebus Theodebertus à sorore commonitus cum exercitu in Hispaniam transit. atque, vrbe obsessa, Amalaricum fugientem, atque in ecclesiam se salutis causa recipientem adeptus, vita exuit. ac thesaurum, & Crothildem secum abduxit. quæ in itinere petiit. inde in Galliam reuersus, regionem trans Rhodanum, quam Amalaricus ab Athalarico receperat, sibi adiunxit, Gotthis victis in Hispaniam ad Theudam, qui tyrannidem exercebat, trepido agmine transeuntibus. Eodem anno Iustinianus bellum in Africa Van-
 50 dalicum iniiit. cuius principio opportune ad animos certæ spe victoriæ concitandos Pudentius præfectus Tripolim oppidum in Africa prodidit, & Godas se Sardiniam traditurum, si auxilia summitterentur, ostendit. cumque Eulogius magna cum manu militum accessisset, in ea imperium occupauit. Belisarius autem, paratis rebus in tempore omnibus, cum Antonina vxore Constantinopoli soluit, salutari precatione ab Epiphano vrbis episcopo vna cum tota classe, atque exercitu ad felicem à Deo impetrandam victoriam expiatus, ac, locis aliquot in itinere tactis, tandem in Siciliam adiit. vnde aquam, equos, com meatum, & res alias necessarias ex fœdere sumpsit. & consilia hostium per Procopium Cæsariensem huius historiæ artificem explorauit. Ceterum certior factus, Gilimerem exercitum tantum aduersus Godam ad recuperandam Sardiniam comparare, ac, relicta Carthagine, apud Hermionem quattuor dierum itinere procul à litore agitare, erectiore animo è Sicilia cessit, ac tertio, quam Constantinopoli disceserat, mensē ad Africam classē applicuit. ac locum quinque dierum via Carthagine distantem egregie aduersus omnem hostilem impetum communiuit. inde, immis-
 60 siss militibus, Syllectum oppidum in littore Carthaginem versus loca-

tum per insidias cepit. mox vniuersum exercitum ad Carthaginem oppugnandam, (hæc enim sola muris cincta vrbs in Africa erat, reliquis præsidij causa iam pridem nouo consilio à Genferico nudatis,) ducere institit, classe lenta se navigatione subsequi iussa. ac Lecto, & Adrumeto præteritis Græsam oppidum tenuit. Gilimer, vbi hostilem adesse sensit exercitum, extemplo Ammatam fratrem, qui Carthagine erat, per litteras monuit, vt Hildericum occideret, ac sese cum Vandalis aduenienti Belisario ad Decimum suburbanum obiiceret. Gibamundum vero fratris filium cum alia manu à latere iussit adoriri. ipse sibi cum suis impressionem à tergo asciuit. itaque Belisarius, postquam ad Decimi angustias peruenisset, facile Gilimeris copiis intercipi, ac deleri consilio potuit, nisi Ammatas ante pugnandi horam, deteriore militum parte assumpta, cum Ioanne Belisarij duce præcedente immature congressus, partam victoriam, ac prope præsentem interpellasset. nam eius casu perterriti milites non ipsi solum præcipiti se fugæ mandarunt, sed reliquos etiam, qui subsequerentur, terga dare maioris mali timore percussos compulerunt. quam cladem Gibamundus etiam cumlavit. qui cum Hunnis congressus, omnibus suis amissis, aufugit. Interim Belisarius locum septuaginta stadiis procul à Decimo confirmavit, atque, exercitu ad rem strenue gerendam verbis incenso, relicta in castris vxore, cum parte militum ad laceffendum prælio Gilimerem processit. qui vero primi Decimum perueniunt, terram cadaueribus stratam aspicientes, & rei gestæ exitum audientes, Belisarium propere aduocarunt. Cum autem eodem tempore Belisarius, & Gilimer cum suis vterque copiis diuersis è partibus ad Decimum accessissent, leue de occupando interiecto colle iniere certamen. quo potiti Vandali, impetu facto, Romanos terga vertere, & in vicum se recipere septem inde distantem stadiis coegerunt. Gilimer autem vbi in campum degressus, Ammatæ fratris cadauer est conspicatus, ingenti dolore ictus animum ab hoste ad sepulturam auertit, ac, spacio Romanis ad se comparandum concessio, pulcherrimam alteram rei bene gerendæ occasionem amisit. quin etiam certamine à Belisario prouocatus impetum sustinere non potuit, atque vna cum Vandalis in Bulæ campum Numidiam versus abiit. Ea re Belisarius excitatus postridie Carthaginem cum omnibus suis intendit iter. & sequenti nocte, cum eo peruenisset, extra urbem sub tentoriis mansit, quamquam comiter, vt introiret, à ciuibus inuitatus. nam & aduenienti exercitui portas aperuerunt, ac lumina, & ignes tota vrbe ad vias illustrandas accenderunt, Vandalis, qui remanserant, ad templa progressis; & classis aduentanti, ferreis cathenis retractis, liberum in portum aditum præbuerunt. inde cum iam dilucesceret, omnes suos sub signis, tanquam ad prælium instructos in urbem induxit, ac, nullo, (quod timuerat,) sese hoste obiiciente, in regiam profectus, in sede Gilimeris confedit. tum in Delphico epulatus, prædam omnem iussit exponi, tanta in omni imperio modestia adhibita, vt in magna trepidatione, summoque tumultu ciuitatis nemo nihilominus tabernas occluserit, aut mercari volenti aliquid venale abnuerit. posthæc Vandalos ad templa profectos in fidem recepit, ac muros vrbs dirutos reficere, urbemque munire aduersus omnem belli, quæ cieri posset, tempestatem instituit. Interim Zazon Gilimeris frater in Sardiniam cum classe inuectus Caralim tenuit, atque oppido repente capto Godam extinxit. ac Gilimerem de re à se prospere gesta per litteras docuit. quas qui attulerunt, à Romanis militibus capti in manus Belisarij peruenerunt. Cyrillus, qui Constantinopoli Godæ subsidio veniebat, Zazonis victoria cognita, Carthaginem cursum deflexit. Gilimer autem, cum victus in Bulæ campo consisteret, haudquaquam se deseruit. verum, petito à virtute præsidio, rusticos Afros ad Romanos, qui per agros dispersi vagabantur, opprimendos immisit, promisso aureo nummo pro cuiusque capite ad se delato, ac Vandalos, & Mauritanos, quos potuit, ad arma secum capienda conciuuit, & Zazonem cum suis copiis ad se relicta Sardinia, euocauit. quæ cum ad tempus expleta essent, cum his omnibus aduersus Carthaginem iter suscepit, proditione se vrbe potiturum confusus, Hunnis, qui cum Belisario erant, ad transitionem faciendam magnis præmiis, & pollicitationi-

citationibus inuitatis, quæ cum omnia Belisarius certis nunciis explorata haberet, muros vrbs reficere maturauit. & Hunnos muneribus ab iniquis capiendis consiliis auocauit. ac demum suis omnibus ad præstandam in prælio fidem, virtutemque pristinam incitatis, aduersus Gilimerem contendit apud Tricaranum septuaginta stadiis longe à Carthagine castrametantem. ibi Gilimer summo sibi confligendum certamine ratus, puerorum, ac fœminarum impedimentis in medium munitio-
 num coniectis, suos ad constantiam in pugna adhibendam hortatus est, pariterque Zazon etiam suos. inde in vltiore ripa amnis intercedentis aciem, Romanis parando prandio occupatis, instruxit. quare animaduersa, Belisarius & ipse in citi-
 10^o ore positus instruxit suos. Cum per aliquot horas prælium à neutra parte inci- peretur, demum Ioannes cum paucis equitibus Belisarij iussu amnem transgres- sus, in hostes procurrit, verum à Zazone repulsus gradum rettulit. idem, cum, ma- iore numero assumpto, iterum institisset, iterumque cessisset, ad extremum cum magna exercitus parte inuectus non solum Zazonis copias loco motas occidione occidit, sed ipsum etiam Zazonem deleuit. quare cognita, Belisarius reliquum ex-
 20^o ercitus repente eduxit, ac Vandalos adortus fuga in castra compulit, ac, mortuis spoliatis, receptui cecinit. silentio inde noctis ad castra aggredienda profectus, tan- tum onanibus trepidationis incussit, vt Gilimer, ascenso equo, cum paucis Numi- diam versus fugam petierit: Vandali vero cum pueris, & mulieribus, quo cuique
 30^o commodum fuit, abire contenderint. Romani castris potiti hostes, quotquot na- cti sunt, ferro strauerunt, solis pueris, & mulieribus conseruatis, quos in seruitutem abriperunt. Ceterum tanta in castris pecunia est inuenta, quanta nunquam antea fuerat visa, vt quæ ex dispoliatis Romanorum prouinciis per nonaginta quinque an- nos fuerat aceruata. Gilimerem inde fugientem Ioannes insequitur, ac post dies decem, & octo adeptus, casu ab amico fallenti infestæ sagittæ ictu, dum autem pe- teret, interfectus spacium dedit ad elabendum. Belisarius Gilimerem persequens, Hipponem vsque progressus, postquam eum in montem Puppam in extrema Numidiæ confugisse, nec facile expugnari posse amicorum Maurorum præsidis
 40^o fultum accepit, quod hiems ingrauescebat, & Carthagine res suspensas relique- rat, eo sibi recedendum putauit. ac promptos milites cum duce Phara ad eum per hiemem obsidendum immisit. Gilimer paulo antè, quàm classis Romana in Afri- cam perueniret, rebus suis timens, legatos in Hispaniam destinarat, vt societatem belli contra Romanos cum Theuda rege contraherent. eos in Hispaniam progres-
 50^o sos Theuda benigne excepit, ac fatin saluæ res Gilimeris essent? rogauit. nam oneraria nauis eodem die, quo Belisarius Carthaginem introierat, è portu profecta, ac secundo vento delata clam totius eum rei gestæ monuerat. Legatis inde salua esse omnia confirmantibus, sui causam aduentus exegit. inde, illis incundæ societatis gratia eum se adiisse dicentibus, subiecit, vt littus Africæ repeterent. futurum enim, vt ibi quo statu res Gilimeris essent, cognoscerent. Ad id legati inepta, vt rebantur,
 60^o oratione offensi conticuerunt. postridie autem cum eadem petentes idem re- sponsi tulissent, rati noui aliquid in Africa post suum abitum accidisse, nihil tamen aduersi de Carthagine suspicantes. discessere, atque in Romanorum manus non lon- gè à Carthagine lapsi, atque ad Belisarium ducti omnia, vt acta erant, exposuere. Iam iurisconsulti mandata Imperatoris exhauserant, ac Iuris institutiones, & Digesta legum confecerant. quibus operibus nihil aut ad vsum populorum vberius, aut ad gloriam Imperatoris esse magnificentius potuit. Id ita esse Iustinianus etiam arbi-
 70^o tratus, tertium hunc consulatum suum longe victoriæ Africanæ splendore fulgen- tem, simul etiam memorabili horum librorum editione insignem posteris relin- quere voluit. ac mense Nouembri Institutiones, Decembri vero Digesta vulgavit,
 80^o edicto proposito, vt hæc leges vim haberent à tertio Kal. Ianuarias, tertio consulatu suo, quo sibi Deus concessisset, vt victoriam nobilissimam, Carthaginè, Africaque re- cepta ex Vandalorum gente, referret. & vt illæ tantummodo Romæ, Constanti- nopoli, & Beryti exponerentur, quod, vt idem ipse Iustinianus inquit, iam & à re- tro principibus fuerat constitutum. Per eosdem dies in Italia regia Gotthorum dis- cordia laborare, atque intestinis seditionibus rem ad Iustinianum occulte inclinare

instituit. ex quo bellum exarsit, quo demum vniuersa Italia misere conflagrauit. Amalafuenta ab Athalarico puero praua iuuenum consuetudine deprauato, & à tribus proceribus Gotthis nimiam suam potentiam ægre ferentibus incitato iampridem non solum despiciebatur, sed occulte à Gotthis ad insidias petebatur. quare prærepta, vt erat alto consilio prædita, ipsos antè de medio tollere, quàm tolleretur, constituit. itaq; primum eos, præfecturis datis, in Calabriam ablegauit, deinde fidos, promptosq; satellites, qui eos ferro opprimerent, destinauit. incertum autem facinoris exitum reformidans, nuncium ad Iustinianum misit, significans, se transire ad eum velle, filij pro arbitratu regendi desperatione adactam. ac nauim auro onustam in portum Dyrrachij misit eo consilio, vt si nex inimicorum suorum processisset, nauim continuo reuocaret, sin irritus conatus cecidisset, ipsa cum thesauro in Græciam properaret. vbi vero mox inimicos suos magna felicitate peremptos audiuit, subito nauim Dyrrachio reuocauit, ac Rauennæ se confirmauit.

534 Sequens annus Iustinianum Augustum IIII, & Paulinum habuit consules. Paulinum euexit Athalaricus. extat enim decretum eius, quo se illum per XII indictiōnem consulem constituere scribit. quin etiam per eosdem dies Cassiodorum præfectum prætorio fecit. Ioannes pontifex, cum v Kal. Iunias migrasset è vita, Rusticum Agapetum archidiaconum nactus est sucefforē. Belisarius interim milites ad reliquā recuperandā Africam misit, aliosq; ad Sardinia, & ad Ebusam, Maioricam, & Minoricā insulas, & in Siciliam ad Lilybeum recipiendū. omnibus omnia ex sententia processerūt, iis, qui missi fuerant Lilybeū, exceptis. hoc enim à Vandalis olim opera Amalafredæ mercatus habendi caussa occupatū Gotthi verbis Amalafuentæ edocti suum esse, non Vandalorum dixerunt. Græcosq; tanquam hostes, longe ab insula repulerunt. Interim Pharas Gilimerem in monte Puppua diligenter obsedit, atq; à Mauris deiectus locum sibi custodiendum suscepit, vt, nullo alimento inuecto, hostes fame debilitati vltro ad deditiōnem accederent. ad quam etiam Gilimerem, fide incolumitatis data, & spe præmiorum ostentata, inuitauit. quod ille se facturum abnuit, atque ab eo panem tantum, spongiam, & cytharam postulauit. cuius postulati, vt noui, rationem curiosius inquirenti nuncius hanc reddidit; panem requiri dicēs, quod postquam montem illum infedisset, panem coctum nullum vidisset; spongiam, vt Lacrymas, quibus conficiebatur, abstergeret; cytharam vero, vt præsentem calamitatem flebilibus modis, haudquaquam eius artis ignarus, leniret. quæ vbi cognouit Pharas, hominis miseratione permotus omnia misit. Gilimer inde, cum, appetente iam vere, expugnationem timeret, atque intestinorum dolore intolerabili laboraret, Pharæ se consilium sequi velle, vt se Iustiniano dederet, indicauit. Cuius rei nuncio Belisarius, vt qui hominem viuum ad Iustinianum ducere cuperet, eximie delectatus confestim Cyprianum ad rem conficiendam misit. ac, Gilimere per eum in potestatem adducto, prope Iustinianum admonuit, ac redeundi potestatem petiuit. nam maiestatis ab obrectatoribus accusatus, eorum occurrere machinationibus exoptauit. Iustinianus, his cognititis, optionem ei dedit, seu redire domum, seu manere in Africa velle. Ille vero, reuersionis consilio expedito, cum Gilimere, & Vandalis captiuis ex Africa soluit, Salomone aduersus tumultus, qui à prouincialibus mouebantur, cum magna exercitus parte relicto. eo vero vt venit, omnibus honoribus, qui victoribus vnquam tributi ducibus fuerant, est exceptus. præcipue spolia hostium per mediam urbem incedens more triumphantium prætulit. atq; ex propria domo pedibus ad circum, & ex circo ad Palatium Imperatoris processit. erant autem spolia sedes regis, & vehicula reginæ, aurea pocula, & alia mensæ reginæ instrumenta, argenti magna vis, aliaq; supellex à Genserico nuper Roma ex Palatio Imperatoris auecta. in qua quoniam multa erant Hierosolymis captis quondam ablata, Iustinianus eodem reportari oblata religione præcepit. Inter captiuos Gilimer purpurea veste indutus vna cum omnibus propinquis suis, & Vandalis, qui proceritate corporum, & oris pulchritudine præcellebant, præcipue spectaculum præbuit. is, postquam in circo constitit, & Iustinianum in celso throno sedentem, & populum circumfistentem aspexit, fortuna sua ad rationē reuocata, illud Salamonis effudit: *Vanitas vanitatum, & omnia*

& omnia vanitas. atque ipse pariter vna cum Belisario iussus ab iis, qui purpuram Imperatoriam sustinebant, Imperatorem suppliciter adorauit. ea perfecta pompa decretum est, vt Belisarius more maiorem triumphum iterum ageret, ac postero anno consulatum administraret. Gilimerem Patricium Iustinianus fecisset, si ab Arrianis deficere voluisset. ceterum summis aliis honoribus decorauit. Hilderici vero filios, & nepotes, tanquã ex Valentiniani sanguine genitos & ipse, & Augusta comiter, ac liberaliter habuerunt. Recepta Africa, lux aliqua recuperandæ Italiæ est obiecta, opportune illud quidẽ, si sine ipsius consequi exitio, ac pernicie potuisset. Præerat tum Etruriæ Theodahatus Amalafredæ olim reginæ filius, homo literis egregie eruditus, atque imprimis disciplinæ Platoniciæ studiosus. verum plus, quàm ferre Tuscorum animi possent, avarus, ac congerendæ, spoliandis populis, pecuniæ cupidus. hic, cum se odio flagrare apud Etruscos, atque Amalafuentam eo nomine intellegeret, cupiditate prodendę Iustiniano Tusciæ, atq; Italię relinquendæ, accensus est, eo animo, vt, cum ingentem vim pecuniæ recepisset, & consularem dignitatem adeptus esset, reliquum ætatis Constantinopoli degeret. Hæc illo animo volutante, opportune legati à Iustiniano ad pontificem nouum Agapetum venerunt, de concordia reconcilianda inter ecclesias missi. quibus ille occulte conuentis, voluntatem vt suam ad Iustinianum deferrent, mandauit. Per eosdem dies Athalaricus luxuriæ, ac temulentia deditus morbo læthifero est oppressus. cuius periculi Amalafuenta à medicis certior facta subito res circumspicere suas coepit, &, quòd, mortuo filio, se Gotthorum odium sustinere posse diffideret, iterum salutis suæ causa regnum tradere Iustiniano decreuit. Interim Alexander à Iustiniano legatus Rauennam multis de rebus missus accessit. ac, concilio impetrato, Gotthis spectantibus omnibus, litteras reddidit, quarum hæc erant verba; Lilybeum, quod nostrum erat præsidium, captum vi retines; milites, ac barbaros, qui à nobis in Campaniam transfugerunt, & ab Vliare Neapolis præfecto suscepti sunt, non restituis. Gratianam vero urbem Illyricam nihil ad te pertinentem extremo milites tui incommodo affecerunt. hæc quo iure à te facta sint, scire aueamus. ad quæ illa respondit; Imperatorem opibus, iustitiæque præstantem puero orbo, atque ægrotanti præsidium, non exitium ostentare oportet. Lilybeum ille, & transfugas repetit, ac militum nostrorum in hostes euntium iniuriam queritur ciuitati sociæ per imprudentiam factam. ego vero peto ab eo, vt in memoriam reuocet, quibus eum semper officiis prosequuti simus. nuper autem, quemadmodum classem eius aduersus Vandalos contendentem equis, com meatibus, atque omnibus rebus necessariis instruxerimus; quibus detractis, neque Africa adiri, neque tanta parari victoria potuit. simulque animo reputet, quàm æquum sit, Athalaricum, quem ob collata beneficia præmium aliquod victoriæ expectare oportebat, Lilybeo, quod ditionis est suæ, exuere properare. Hæc illa palam legatis Imperatori renuncianda respondit. clam vero quærentibus, (sic enim à Iustiniano acceperant,) cur ad se, sicut ostenderat, non transisset; se facturam, si filius vita cederet, atque Italiam illi concessuram, spondit. Theodahatus autem Alexandrum Demetrii socium nactus, familiaritate contracta, & ipse intimum animi sui sensum aperuit, ac Tusciam Iustiniano traditurum, si sibi apud eum præmium esset, ostendit. vterque inde eorum domum reuersus Iustiniano renunciauit legationem. quibus rebus cognitis, ille mire lætatus, euestigio Petrum natione Illyricum, hominem disertum, Thessalonica in Italiam iussit adire, atque hæc ipsa primo quoque tempore explenda curare. Interea Etrusci assiduis Theodahati rapinis exacerbati ipsum de repetundis apud Amalafuentam postularunt, atq; ab ea exerceri quæstionem eiusmodi poposcerunt. qua re cognita, Amalafuenta hominem coram adesse iussit, ac iudicio constituto conuictum ab accusatoribus condemnauit, ac sua cuiq; ablata restituere compulit. Subiit inde cogitatio animû, præstare, vt post mortem filij, quæ, sauiente morbo, non longe credebatur abesse, ipsum ad regnû proueheret, atq; opes suas illius erga se studio confirmaret. itaq; accersito illo, cum sibi infensum existimaret, hac oratione demulcere contendit; se, quòd illum iudicio condemnasset, iustã asserre causam posse. ipsum

enim Gotthis purgatum esse voluisse, vt filio mortuo, cum nemo præter eum ex Theodorici genere superesset, eum posset sine aliqua Gotthorum criminatione prouehere. id autem se pro explorato facturâ, si ipse mores mutaret, & iureiurando affirmaret, se titulo regni contentum sibi administrationem imperij permissurum. quod vbi Theodahatus audiuit, ex templo in speciem omnem animo offensionem abiecit, ac, tanto beneficio accepto, perpetuo fore se in eius arbitrio, ac potestate sanctissimo se sacramento adegit. atq; ita Athalarico mortuo, iubente Amalasuentra, à Gotthis ad regnum est euocatus. Hoc anno, vt scribit Procopius, sol sine radiis, perinde, ac luna, prodigiose refulsit, ac magna ex parte deficere visus est. itaq; neque bella, neque fames, neque pestilentia hominibus defuerunt. Epiphano episcopo Constantinopolis mortuo, Theodora Augusta in eius locum Anthemium, siue Anthimum episcopum Trapezuntis suffecit, hominem secum contra Chalcedonense Concilium sentientem. quæ res postea Ecclesiam non mediocriter perturbauit.

THEODAHATVS REX.

REGNO vero ad Theodahatum delato, Amalasuentra ad senatum Ro. litteras misit, in quibus ipsa se post filij obitum regnum ad Theodahatum transtulisse, significauit, virum non tam generis splendore fulgentem, quàm virtutis, & doctrinæ laude præstantem. Theodahatus autem cum ceteris in rebus Amalasuentræ prudentiam extulit, tum præcipue in eo, quod antè se legibus, & iudicio subiecisset, quàm ad regni culmen eueheret, ac suam prius conscientiam expiasset, quàm censuram regni mandaret. eodem etiam modo vterque legatos cum litteris ad Iustinianum miserunt, nouum regem sublectum in ipsius orbitate regiæ nunciantes, ac pacem cum decessoribus suis constitutam iisdem sanciri conditionibus postulantes. Theodahatus autem magistratus aliquot in insequentes annos declarauit, atq; eis iuris æquabilitatem per litteras, quæ cum superioribus apud Cassiodorum leguntur, summo opere commendauit. inde, veteribus simultatibus animo repetitis, omne suum studium ad vlciscendam ipsam, cui omnia debebat, Amalasuentam, conuertit. itaque propinquos inimicorum eius reduxisse ab exilio non contentus, necessarios etiam morte affecit, atque ipsam demum per causam conseruandæ inter Gotthos concordie in lacus Vulsiniensis insulam relegauit, ibiq; firmo custodiri præsidio iussit, cum nondum legati ad Iustinianum missi in Græciam peruenissent. veritus autè, ne eam rem Iustinianus iniquo animo ferret, Liberium, & Opilionem senatores summisit, qui se nihil durius in eam consuluisse, licet grauissime prouocatum, docerent. atque Amalasuentam in eandem, quam ipse, sententiam scribere, compulit. Petro legato proficiscenti Iustinianus mandarat, vt palam cum Amalasuentra de causa Lilybei tractaret; secreto autem de ratione Italiæ prodendæ cum ipsa, & Theodahato conficeret. Petrus autem, cum in Græciam accessisset, obuius oratoribus Amalasuentræ factus de Theodahati prouectione, inde, cum Apolloniam peruenisset, legatis Theodahati de Amalasuentræ relegatione cognouit, quibus rebus Iustiniano nunciatis, ibi donec noua mandata acciperet, sibi subsistendum putauit. Iustinianus, his acceptis, Petro mandauit, vt Amalasuentam ad fugam in Græciam capeffendam impelleret; Theodahato vero, & Gotthis vt iustam suam aduersus eos iracundiam aperiret. Ex legatis Theodahati vnus Liberius sincere, ac vere omnia, vt acta erant in Amalasuentam, exposuit, alter vero Opilio Theodahatum crimine frustra nisus est liberare. Interim Gotthi Amalasuentræ inimici Theodahato persuaserunt, præsens vitæ eius periculum imminere, nisi Amalasuentræ vitam eripuisset. itaque permissu eius ad insulam, in qua erat, venerunt, atque eam nece strauerunt. quæ res maximum Italis, Gotthisq; mœrorem intulit. erat enim fœmina, vt diximus, omnibus virtutibus ad alliciendos, & retinendos hominum animos ad miraculum exornata. Petrus in Italiam profectus, cum Amalasuentræ necem audisset, Theodahato, & Gotthis aperte denunciauit, Iustinianum nullam fœderis cum eo icti rationem in posterum habiturum, & necem Amalasuentræ armis persequuturum. Theodahatus autem

autem tanta vacordia fuit, ut cum interfectores eius in honore haberet, tamen id eos iniussu suo fecisse contenderet. Quibus de rebus omnibus Iustinianus ubi certior fuit factus, bellum aduersus eum parauit, quo deinde Gotthorum in Italia imperium concidit. atque ipsa Italia omnis atrocissimarum calamitatum exempla persensit, quarum expositione hæc historia terminabitur, ac Mundum Illyrici præfectum Dalmatiam eorum prouinciam inuadere iussit: Belisarium vero consulem cum classe, & copiis Africam versus cursum intendere; sed, ubi Siciliam attigisset, in eam commeatus petendi causa descendere, & si facultas daretur, insulam occupare, atque in potestate retinere. quod si rem effici, aut tentari non posse censeret, in Africam occulto consilio maturare. Litteras deinde ad reges Francorum misit, quibus iniuriam Amalasuente eorum affini factam, & cupiditatem vindicandi suam exposuit, eosque, ut sibi communibus armis adessent, rogauit ad communes hostes Arrianos delendos, quos par esset credere, aliquando exëplo Vandalorum concepti odij acerbiter in Catholicos effusuros. simul etiam munera, præmiaque ingentia, si in huius belli societatem venirent, promisit. quibus Franci illecti armis se affuturos sponderunt. His rebus in hunc modum in Gotthorum perniciem constitutis, res inde prospere geri est cœpta. Mundus in Dalmatiam progressus, secundo cum Gotthis, qui ibi erant, prælio decertauit, ac caput prouinciæ Salonam in potestatem adduxit. Belisarius autem in Siciliam profectus primo aduentu Catanæ oppidum cepit; deinde, translato Syracusas bello, urbem haud magno negotio ad deditionem adduxit. quo facto, multæ aliæ ultro se dederunt. Panormus, quod munitione, præsidioque valido teneretur, difficiliorē habuit expugnationem. ad extremum tamen & ipsa egregio ducis consilio venit in ditionem. nam, classe intra portum inuecta, & muro à parte maris, qui propugnatoribus erat vacuus, oppugnato, cum iactis anchoris, naues firmasset, sagittarios ad malorum fastigium sustulit, qui altitudine sua urbis propugnacula superabant. vnde ex alto hostes sagittis vndique icti, atque languidiores, & timidiores desperatione tuendæ urbis effecti, urbem, nulla mora interposita, dederunt. ita insula breui in potestatem Iustiniani concessit. Belisarius cum ceteris in rebus secunda fortuna usus est, tum in ea vel maxime, quod, Sicilia in potestatem redacta, postremo consulatus die Syracusas ingressus est. magno plausu Siculorum exceptus ingentem vim nummorum acclamanti populo sparfit. atque ibi per hiemem mandata Iustiniani opperiens mansit. hæc autem ubi Petrus legatus audiuit, instare acrius, & Theodahato grauiora minari, nisi Iustiniano satis fecisset. quo ille metu perculsus, atque attonito similis, voce amissa, non aliter, ac si bello captus esset, remotis arbitris, Petrum seducit, & se, si pacem habuerit, hæc omnia Iustiniano præstiturum promittit. in primis se Sicilia vniuersa cessurum, illique coronam auream trecentarum librarum in singulos annos daturum, Gotthorum tria millia ad eius arbitrium summissurum. ipse, aut senatus iniussu neminem aut vita, aut facultatibus multaturum, neque ad Patriciatum, aliamve dignitatem aliquem producturum, sed eam potestatem ab Imperatore postulaturum. populum Romanum in solemnibus acclamationibus prius nomen Imperatoris, deinde Theodahati in omnibus locis, quibus res tulerit, proditurum. statuam nullam sibi, nisi altera Imperatori ponatur, poni passurum, ita ut dextram Imperator, læuam ipse obtineat. atque, his compositis, Petrum dimittit. illo inde profecto, metus incessit, ne, si conditiones illas Iustinianus abnueret, bello se protinus oppugnaret. quare Petrum iam mare transgressum reuocauit, ac præsentem, num conditiones illas Iustinianum accepturum putaret, rogauit. Petro vero ambigere se dicente, Quod si non accipiet, inquit, qui rerum exitus erit? tum Petrus, Armis res erit decernenda. Theodahato vero id parum æquum esse innuente, Atqui cur non est æquum, inquit, ut sua quisque studia persequatur, & ut tu mortem hominibus insontibus infers, sic ille Imperio suo vicinas regiones adiungat? Quibus verbis Theodahatus permotus, Italiã sponte se dimissurum ostendit, in idque & ipse, & Gudila vxor eius sacramentum concepit. Petrumque iureiurando adegit, ut prius primas conditiones Iustiniano exponeret; deinde, si eas respuisset, ad secundas transiret. veritus inde, si sine magni viri auctoritate res ageretur, ab Imperatore

ne sperneretur, in eam legationem Agapetum pontificem destinavit. recusanti vero, ac difficultates domesticas afferenti & ipsi, & senatui ita scripsit, ut se eos, & uxores liberosq; eorum gladio perempturum minatus sit, nisi Imperatorem ab exercitu in Italiam traducendo auerteret. quamobrè Agapetus, legatione pro Italia salute suscepta, vasa sacra pro necessario comparando viatico oppignoravit, atque iter ingressus Græcia claudum, & mutum maximo astantium stupore sanavit. inde x Kal. Maij Constantinopolim adiit. ibi à Iustiniano, & cuncta ciuitate pro sedis dignitate receptus, comiter omnes ad se adcentes tractavit, vno episcopo Anthimo excepto, quem propter hæresim à salutatione summouit. Post autem in colloquium cum Imperatore congressus, priores condiciones proposuit cum his litteris, quæ sunt apud Cassiodorum: *Quanto studio vestram amicitiam expetam, Serenissime Princeps, primum ex Petro legato vestro, deinde ex Agapeto, homine sanctissimo, cognoscetis. quem virum sacerdotio clarum, & doctrina laude conspicuum meam ad vos voluntatem deferre oravi, Deo confisus, fore, ut suis ille meritis & vobis maxime placeat, & mihi, quod peto, à vestra serenitate obtineat.* Quibus conditionibus à Iustiniano repudiatis, alteras has cum his litteris protulit, quarum Procopius meminit: *Ad regnum ego nō alienus accessi. siquidem ex rege auunculo natus sum, verum rei militaris imperitus, ac bellicorum tumultuum insuetus, ut qui me diu in litterarum studiis exercuerim, atque in eis studiū meum omne consumpserim, ex quo mihi turpe esse existimo, pro terrestris imperij possessione dimicationem vitæ, libertatisq; subire. Quamobrem, si mihi prædia, vnde me alere possim elargieris, totius ibi Italia administrationem remittam, & cui tu iusseris, tradam.* Qua conditione accepta, Iustinianus Athanasium, & Petrum ad eum legavit, atque ita rescripsit: Sapientem te esse antea fama deferente acceperam: nunc re ipsa doctus intelligo, cum ancipites belli vitare casus decreueris, quos qui non horruerunt, plerumq; fortunæ ludibrium præbuerūt. quod vero nos amicos potius experiri, quàm hostes, volueris, haudquaquam tui te consilij poenitebit. nam omnia, quæ postulas, impetrabis. tu cum Athanasio, & Petro pacta conficies, Belisario vero possessionem Italiae trades. Legatis præterea mandavit, ut pactis sacramento firmatis, Theodohato prædia Imperatoris, quas Patrimonium dicerent, assignarent, eumq; in manus Belisarij Italiam permittere procurarent. Per eosdem dies rogatus Agapetus à Iustiniano, ut Anthimum ad salutationem admitteret, omnino se facturum negavit, nisi Catholicam ille confessionem exprimeret, ac suam sedem repeteret: neque enim fas esse, ut in sede Constantinopolitana, prauæ fidei, atque alienæ ecclesiæ episcopus resideret. Theodora vero Augusta pro eo se interponente, & varie preces, minasq; miscente, nunquā de suscepta dimoueri sententia potuit. quin etiam de criminibus eius ab episcoporum, & monachorū libellis edoctus illum communionem, atque officio, quousque resipisceret, exiit, eo nomine, quod contra leges Ecclesiam inuasisset, & à Catholicis defecisset. atque eos libellos Iustiniano exequendos porrexit. quod vbi Anthimus sensit, pallium Imperatoribus reddidit. Agapetus vero Menam ei suffectum fidē Chalcedonenſis Concilij amplectentem, (quod adhuc Ro. pontifex nullus effecerat) manus impositione sacrauit. Inde, Pelagio diacono apocrisiario apud Iustinianū instituto, dum protectionem adornat, aduersa tentatus valetudine x Kal. Iunij Constantinopoli obiit. Tum Augusta Anthimi, & Eutychianorū vicem sollicita Vigilium ipsius diaconum aduocauit, ac pontificatū ei, & centenaria decem auri sponpondit, si se Anthimum restitutum, fidemq; eius confirmaturum repromitteret. quod ille summo animi studio sanxit. atque inde Romam cum cadauere Agapeti discessit. Interim, dum hæc aguntur, Grippa, & Asinarius Gotthorum duces magnis cum copiis se in Dalmatiam contulerunt, ac cum Mauricio Mundi filio ex insperato occurrente congressi ancipiti prælio decertarunt. nam & Gotthorum primores, & fortissimus quisque occubuit, & Romani ferme omnes vna cum Mauricio duce desiderati sunt. qua clade audita, Mundus pater confestim accurrit, ac Gotthos in fugam actos facile profligauit, verum & ipse cupidius insequutus, vulnere à fugiente quodam accepto, interiit. quo tempore carmen Sibyllinum ad id vsq; ætatis obscurum est intellectum, quod erat, fore, ut, cum Africa reciperetur, Mundus cum sua prole periret. ita vtrinque magna

magna clade discessum est. Hoc autem ut Theodahatus accepit, oratores, qui à Iustiniانو missi cum acceptis conditionibus venerant, negligere cœpit, vel naturali ingenij inconstantia motus, vel à suis spe Italiae retinendæ inflatus. Petro autem iurganti, ac perfidiam identidem intonanti ferociter respondit, se tamdiu legatis parsurum, dum legatorum officio fungerentur. legatum autē violare tum demum fas esse, cum regem contumelia prouocaret, aut alienum cubile iniret. cui legati, quæ in rem esse visa sunt, responderunt. (nam quod de tentata aliena pudicitia iniecerat, id non ad veritatem, sed ad quærendam honestæ cædis occasionem dixerat.) ac mox Iustiniani litteras ad Gotthorum principes missas, ipsis iubentibus, recitarunt, in quibus maximæ ille sibi curæ fuisse significabat, ut eos ad suam temp. moresq; traduceret; qua ex re illos non mediocrem voluptatis fructum capturos consideret. quod cum dignitatis amplificatione ad ritus sibi notissimos transituri essent. quibus auditis, Theodahatus omnino se nihil præstare velle promissorum subiecit, ac legatos custodiri cum cura præcepit. Interim Iustinianus, rebus Dalmaticis cognitis, Constantianum regij stabuli magistrum aduersus Gotthos in Dalmatiam misit, Belisarium vero primo quoque tempore transire in Italiam è Sicilia cum omni apparatu bellico iussit. Constantiano Dyrrachij delectum habente, Grippa Salonam recuperavit. inde, eo in portum Epidauri inuecto, euestigio à speculatoribus Constantianum cum infinita multitudine aduenisse est monitus. quo nuncio perturbatus, cum mare in potestate Romanorum, & Salonam haud munitam esse videret, nec satis oppidanorum fide confideret, exercitum inde eduxit, & in campis inter Salonam, & Scardonam interiectis castra fecit. Constantianus inde ex Epidauo Lissum aduectus, rebus, quas Grippa gesserat, cognitis, Salonam versus nauigauit, copiisq; in terram expositis, aliquantum quieuit. inde quingentis delectis militibus duce Sifila, missis occupare angustias iubet, atq; ipse cum reliquis subsequi pergit. & peditatu, ac classe in portum inducta, urbem ingreditur, murosq; eius reficere, & propugnacula reponere studet. quod vbi cognouit Grippa, post septimum diem, castris sublatis, exercitum Rauennam reduxit. atq; ita nullo negotio Constantianus Dalmatiam, Liburniamque omnem in ditionem redegit, Gotthis, qui in iis locis relictis fuerant, se tradentibus. Romæ nuncio de pontificis Agapeti morte accepto, x i i i Kal. Septembris Theodahatus Siluero subdiacono Ormisdæ, de quo diximus, filio ad pontificatum suffragatus est, cum mortem clero intentasset, nisi eius ordinationi assensum præbuisset. sacerdotes autem quidam non subscripserunt, antequam consecraretur, at postquam consecratum viderunt, & ipsi probarunt. Agapeti corpus Romam relatum x i i Kal. Octobris sepulturæ mandatum est. Postero anno, quem post consulatum Belisarij appellarunt, Belisarius, iussu Imperatoris, præsidio Syracusis, Panormiq; relicto, cum omnibus copiis Messana euectus Rhegium nauigauit. quò vbi accessit, euestigio omnes ex vicis, qui nudati muris erant, odio Gotthorum, à quibus affligebantur, deditionem fecerunt. quin etiam Ebrimius Theodahati gener vltro cum suis omnibus ad eum transit. qui statim ad Iustinianum missus præter cetera præmia etiam Patriciatus dignitate affectus est. hinc exercitus per Bruttios in Lucaniam terrestri itinere, classe subsequente, deductus. vbi vero in Campaniam ventum est, Neapolis sese obiecit, vrbs & natura munita, & præsidio Gotthorum valido confirmata. Eò postquam ille accessit, classem ex alto in portum iussit induci, ac, castris ad urbem positis, præsidium, quod in suburbano erat, ad se deditione traduxit. deinde iis, qui in vrbe erant, delectos ad se mittere viros concessit, ut ipsi & postulata sua cognoscerent, & ciuitati sententiam indicarent. Neapolitani Stephanum spectatæ moderationis virum miserunt. qui ad Belisarium progressus, grauiiter con- queri cœpit, quòd ipse Neapolitanos nulla laceffitus iniuria oppugnatum venisset. se, Gotthorum præsidio arcem tenente, ita premi, ut deditionis arbitrio careant. Gotthos autem, liberis, vxoribus, & preciosissimis rebus suis apud Theodahatum relictis, ne id quidem sine sua pernicie posse moliri. cur non ille prius Romam recuperaret, qua capta nullo deinde negotio potiturus Neapolis esset? cui Belisarius, causa sui consilij prætermissa, respondit, suadens, ut Neapolitani exercitum Impe-

ratoris pro ipsorum, totiusq; Italiae libertate missum reciperent. Gotthi vero ut aut ad se transirent, honestissimo loco futuri, aut impune domos suas repeterent. quod si has condiciones, inquit, spreueritis, scitote, me pro hoste habiturum, quicumq; se mihi primus obiecerit. hæc palam renuncianda edidit. secreta autem multa Stephano pollicitus est, si Neapolitanos ad partes Imperatoris traduceret. Stephanus in urbem reuersus legationem exposuit. inde vnâ cum Antiocho Syro Neapolis inquilino Neapolitanos ad faciendam deditioem hortari cœpit. Pastor autem, & Asclepiodorus oratores, Gotthorum parte suscepta, nihil nouandum esse censuerunt. itaque, consultatione adhibita, Stephanum ad Belisarium remiserunt cum iis postulatis, quæ nunquam eum admissurum putarunt, petentes, ut ea iureiurando interposito confirmaret. quæ ubi ille cognouit, sine cunctatione præstiturum vniuersa respondit. itaque Neapolitani in eam sententiam inclinarunt, ut Siculo-
rum exemplo exercitum Imperatoris in urbem reciperent, ac seruituti Gotthorum libertatem Imperatoris præferrent. quod ut vidit Pastor, in concionem aduocatos monuit, ut incertum esse belli Martem considerarent, viderentq; , ne salutem suam Belisario maiora, quàm præstare posset, pollicenti temere proderent. nam si penes Gotthos victoria erit, illi vos, inquit, tanquam hostes sæuissimis tormentis excruciant, quod nulla urgente necessitate ab se defectionem feceritis, si penes Belisarium, ipse vos semper, tanquam lubricæ fidei homines, suspectos habebit. sin autem fidem Gotthis præstiteritis, & à Gotthis maxima post victoriam
beneficia expectare potestis, & ab Imperatore seruatae fidei veniam sperare debetis. neque vero Belisarius ad has condiciones accipiendas venisset, si per vim urbem se potiturum speraret, cui ad suam defensionem nihil rerum opportunarum deesset. qui, si æquus agere vellet, Theodahatum, & Romam prius aggredi debuisset. nam tum Neapolitani sine fidei iactura deditioem fecissent. quibus dictis simul Iudæos produxerunt, qui nihil in urbe deesse asseruerunt, quod ad eius defensionem vsui esset, & Gotthos, qui se mœnia tutaturos dixerunt. quibus rebus Neapolitani inducti Belisarium discedere ab urbe iusserunt. quare Belisarius urbem oppugnare constituit. ac primum, scalis ad muros admotis, in urbem transcendere contendit, verum, licet sæpe tentasset, cum magno militum detrimento semper
recessit. neq; enim adiri urbs à mari poterat, & à terra situs difficultas, atque accliu-
uitas omnem proficiendi materiam adimebat. itaq; oppugnatione omissa, aquæ ductum, qui aquam in urbem deferebat, ad vsu eius impediendum intercudit. verum & ea re parum civitati nocuit, quod urbs puteis abundaret, vnde aquæ affatim hauriretur. Interim Neapolitani nuncios ad Theodahatum miserunt, rogatum, ut sibi primo quoq; tempore subueniret. quod ille siue propter insitam ingenij tarditatem omisit, siue propter victoriæ desperationem, quam ex aduersis rerum futurarum signis conceperat. his de rebus Belisarius in magnis rerum angustiis versabatur. neque enim Neapolitanos ad se defecturos sperabat, & difficultatem
expugnandæ urbis in dies augeri videbat. simulq; verebatur, ne, si res longius tra-
heretur, omittenda sibi obsidio esset, ut in Theodahatum, Romamq;, ita urgente necessitate, contenderet. itaque, multis irruptionibus frustra tentatis, exercitui profectionem indixit. quo minus vero remanserit, noua oblata rei bene gerendæ occasio attulit causam. Isaurus quidam, ut aquariam disciplinam cognosceret, aquæ ductum ab ea parte, quæ perrupta fuerat, ingressus, cum totū oculis perlustraret, in petram quâdam incidit ibi à natura locatam, quæ ab architectis tantū perforata fuerat, quantū ad labentis aquæ transitum satis esset. ea mole semota, animaduertit, per ipsum aquæ ductum viros incedere armatos commode posse. itaq; inde profectus, per amicū consiliū suū ad Belisarium detulit. atq; præmiis ab eo ad rem aggrediendam impulsus silentio noctis cum ministris ad locū reuersus, petram
illam sensim eliminando, & abradendo, ne factū strepitu proderetur, ita consumpsit, ut miles armatus ea trāsire facile posset. qua re perfecta, Belisarius imminens urbi exitium cernens, si armatus eam exercitus iniuisset, Stephanum euocatum sic est alloquutus, ut incommoda omnia, quæ in expugnatione captarum urbium, etiam inuito duce, patienda essent, exponeret, cædes, rapinas, incendia, seruitutes, contumelias,

melias, ceteraq; mala, quæ hostilis inferre libido in victoria solet. ea vero cum Neapoli imminere videret, se misericordia tangi, atq; eos magnopere ad deditionem hortari. Stephanus, quæ audiuerat, suis lacrymans rettulit. verum, obstinatis ad fidem Gotthis præstandam animis, nihil profecit. qua re cognita, Belisarius cõsilium irruptionis cum strenuis ducibus contulit, atq; ipse omnia ad urbem inuadendam necessaria præparauit. Primis ergo tenebris præfecti, quibus hoc negotium datum erat, cum quadringentis armatis ad os aquæductus venerunt, verum à plerisq; periculo agnito derelicti, re irrita, ad Belisarium redierunt. quibus increpitis ducentos ille alios dedit, qui magno animo se omnia facturos, quæ strenuis viris essent digna, dixerunt. Interim Bessas sermonem cum Gotthis, qui proximam aquæductui turrim custodiebant, instituit, vt eo colloquio animos eorum ab omni incedentium per aquæductum strepitu auocaret. atq; vt ad Belisarium multa præmia relaturi se conferrent, clamare; illi vero Bessam illudentes Belisario, & Iustiniano probra ingerere. Romani, cum iam per aquæductum in urbem peruenissent, quod superne intectus esset, & cocto ex latere celso fornice haberet, vbi nam essent, ne coniectura quidem assequi poterant, neq; inde descensus patebat. vltius inde progressi ad locum venerunt, vbi aquæductus aperta testudo erat, domui cuidam humiliori subiecta à sola anicula paupere habitata. ibi, agitat de inuadendo consiliis, miles vnus, armis positus, manibus & pedibus enitendo in eam peruenit, ac mulierem clamorem edere volentem mortis periculo intentato exterruit, ac restem validam ad oleæ superstantis truncum alligatam militibus ipsis porrexit. qua illi statim arrepta ad vnum omnes incolumes euaserunt. ac quarta vigilia ad muros vrbs progressi, custodes duos incautos obruncant, atque, vt compositum fuerat, tuba signum rei perfectæ edunt. quo accepto, Belisarius in id intentus scalas statim muris à terra applicuit, atque eos euestigio capit. inde ad eos, qui ad mare pertinebant, conuersus, Iudæis acriter resistentibus, nihil profecit. vbi vero illuxit, qui intrauerant, Iudæos à tergo adorti exterritos fugarunt, atq; apertis portis Romanum exercitum receperunt. qui vero ad portas Orientales dispositi fuerant, cum scalas non haberent, fores portarum à custodibus destitutas incenderunt, & pariter urbem ingressi sunt. Vrbe ex omni parte capta, passim cædes, incendia, direptionesq; sunt factæ, quousq; Belisarius edixit, vt ab Neapolitanis iam ditioni suæ subiectis abstinerent, & qui Gotthos vicissent, ne se vinci ab iracundia sinerent, bona sibi haberent; vxores, & liberos, quos cepissent, viris, & parentibus redderent. ita omnes statim sine iniuria restituti sua domicilia cum auro abscondito receperunt. Gotthi benigne tractati. Pastor vrbs defendendæ auctor supplicio acriore repentina morte correptus est. Asclepiodotum socium eius populus conuiciis impetum, deinde obruncatum fœdissime lacerauit. atque eodem furore adactus cadaver Pastoris palo suffixit. hunc exitum Neapolitana obsidio post diem vicesimum habuit. His rebus cognitis Gotthi, qui circum Romam erant, mirari primum, quod Theodahatus adeo ignauia obtorpuisset, vt nullo modo his tantis malis occurreret; deinde suspicari, ne is Italiam Belisario prodere cogitaret. itaque, consilio capto, in locum non longe à Circeis se contulerunt, ibiq; cõuocati, omnibus probris in Theodahatum congestis, Vitigem regem sibi depoposcerunt, virum non summo loco natum, sed rebus militiæ bene gestis spectatum. qua re audita, Theodahatus exanimatus repente Roma Rauennam se contulit. Vitiges autem extemplo Optarum Gotthum priuata Theodahato similitate infensum cum parata satellitum manu immisit, qui illum aut viuum ad se adduceret, aut morte afficeret. is profectus, atque illum in itinere in solo resupinatum adeptus, tanquam victimam, interfecit. Eodem anno Iustinianus, prout pontifici Agapeto promiserat, damnationem Anthimi sibi confirmandam suscepit. itaq; Orientis episcopis aduocatis, cum nonnulli etiam ex Italia ab Apostolica sede prius missi adessent, Concilium habuit in ædibus S. Mariæ Dei genitricis prope magnam ecclesiam, cui Menas episcopus vrbs præfedit. ibi vt Nonas Maias, cum episcopi, & abbates Orientis eosdem libellos, quos Agapeto aduersus Anthimum obtulerant, edidissent, placuit, vt Anthimus adesse intra certos dies iuberetur, negotiumq; eius conquirendi certis episcopis datum est.

Pridie nonas, conuocato iterum Concilio, cum episcopi se reperire illum potuisse negarent, nouus ad se sistendum dierum terminus est præscriptus, aliisq; episcopis eius inquisitio data, atq; hoc idem tertium, cum vi Idus conuenissent, est factum. Ad extremum, cum xii Kal. Iunias iam quartum conuocati nusquam Anthimum reperiri, neq; ad dicendam causam iam ter citatum occurrere animaduertent, sententiam in eum tulerunt, in qua Agapeti auctoritatem sequentes, ipsum communione, Ecclesia, & nomine Catholico spoliarunt, eo nomine, quod contra sacras leges Ecclesiam inuasisset, & decreta Catholica respuisset. præcipue autem Menas sententiam in eum tulit, cui reliqui subscripserunt. Inde pridie Nonas Iunias, cum iidem episcopi in eodem loco coissent, Theodorus Imperatoris Referendarius quosdam libellos episcoporum, abbatumq; contra Seuerum, Petrum, & Zoaram hæreticos Eutychianos Iustiniano porrectos protulit. quibus recitatis, patres summo consensu eos anathemate perculerunt, Mena item episcopo sententiam pronunciantem. quibus rebus cognitis, Iustinianus vii Idus Augusti edictum & ipse edidit, in quo sententiam Agapeti, & Concilij primum contra Anthimum, deinde contra Seuerum, Petrum, & Zoaram confirmauit. atque Anthimum in vrbe esse Constantinopolis vetuit. Ex quibus rebus declaratur, falsos esse eos, qui Iustinianum Eutychis hæresim approbasse, & pro Anthimo cum Agapeto iurgasse, memoriam tradiderunt, aduersus ipsa Conciliorum acta, quæ illi aut non legerunt, aut lecta certe posthabuerunt. Inde iii Kal. Octobris Petrus Hierosolymorum episcopus, suorum episcoporum Concilio habito, hæc eadem omnia confirmauit.

CAROLI SIGONII HISTORIARVM, DE OCCIDENTALI IMPERIO, LIBER

BER XVIII,

Qui est regni Gotthorum in Italia tertius.

VITIGES REX.



INTERIM Vitiges rex cum Gotthis, qui secum aderant, Romam perrexit. ibi, nece Theodahati perspecta, Theodiscum filium eius statim in custodiam tradit, atque oratione ad Gotthos habita docet, se Rauennam petere velle, & bellum in Gallia cum Francis conficere, vbi maior pars Gotthorum sit occupata; atque, eo finito, in Belisarium se conuertere. quod iter pro fuga non esset accipiendum, cum commodi, non metus causa suscipiatur. De Roma non esse, cur laboretur. nam Romanos fidelem operam præstituros, & se firmo Gotthorum præsidio relicto ad eam aduersus omnem impetum defendendam celeriter reuersurum. Hoc à Gotthis consilio collaudato, Siluerium pontificem, & senatum, ac populum ad fidem erga Gotthos tuendam hortatus est, iustissimo Theodorici Imperio memorato, atque, eis in hæc verba sacramento adactis, & quattuor Gotthorum millibus custodiæ vrbis cum Laudere præfecto relictis, cum cetero exercitu Rauennam contendit, multis senatorij ordinis obsidum loco secum adductis. quò vbi peruenit, vt Imperium magis stabiliret, Matafuentam Amalafuentæ filiam, virginem eximia pulchritudinis, vxorem sibi despondit, & Gotthos ex omni Italia contractos armis instruxit. Paulo antè Theodahatus, cum citimam Gallia portuunculam Francis se remissurum, & aureorum viginti millia traditurum, si sibi aduersus Belisarium auxilio